

DISPUTATIO IVRIDICA

DE

STATV REI ROMANAЕ
SVB PRINCIPATV

QVAM

ILLVSTRIS IVRECONSULTORVM ORDINIS

CONSENSV

PRAE SIDE

D. CAROLO ANTONIO KEVFFEL

IN IVLEO MAIORI

A. D. XXVII SEPTEMBR. MDCCCLXVI

PUBLICE DEFENDET

IOANNES ANDREAS BÜHRING

STECHEMO - BRVNSVICENSIS.

LL. CVLTOR.

HELMSTADII

LITERIS VID. P. D. SCHNORRII,

ACAD. TYPOGR.

1766, 2

935

097

?H.C.H. K. H. d. Statu Rei Rom. sib Principate.

STATV REI ROMANAE
SVA PRINCIPATA

ETATV ROMEA
PRINCIPATV

DE CESSO ANTONIO KLEINER

ETATV ROMEA


1725. A. M. V. L. A.

ETATV ROMEA
PRINCIPATV

DE CESSO ANTONIO KLEINER

ETATV ROMEA
PRINCIPATV

DE CESSO ANTONIO KLEINER



DISPV TATIO IVRIDICA
DE
STATV REI ROMANA E
SVB PRINCIPATV

C A P . I.

DE
ORIGINE ET CONSTITVTIONE
PRINCIPATVS ROMANI.

§. I.

D EMOCRATIA facit ciues aequales respectu Lex de-
iurium quae ad exercitium imperii ciuilis mo-
spectant, est enim ea reipublicae forma, in tiae.
qua imperium est penes populum, adeoque
communi eius consensu exercendum: ex
quo consequitur, vt singulis aequale ius
competat. Lex democratiae est, conseruandam esse ae-
qualitatem, ideoque non ferendum, vt quisquam pre-
rogata

A

rogatiuam sibi arroget. Hanc ob caussam magistratus in democratis non solum esse temporarii, sed ne facile quidem in plures annos debent prorogari, ob periculum maioris potentiae acquirendae, quam quae intra iustos limites contineri possit; nec permittendum ut quisquam a rationibus populo reddendis immunis esse videatur. Dantur quidem etiam in democratis varii ordines ciuium, quorum alii aliis sunt honoratiores; dantur gente aliis nobiliores, dantur dignitate praecellentes; sed haec omnia, nisi formam mixtam admittere placeat, nullum momentum habere debent, ad maiorem auctoritatem in exercitio regiminis publici cuiquam tribuendam. Divisionem ciuium in patricios et plebeios, quam Romulus instituerat, non intermittebat plebs sub libera republica infirmare et conuellere, ne aequalitati iurium per eam aliquid detraheretur. Imo plane virtus excellentior in democratis suspecta est, eamque multis caussam exilii fuisse nouimus.

§. II.

Romae euersa, **H**VIVS legis non satis memores Romani erant extremitatis reipublicae temporibus, quibus vitiis exterorum contaminati, et ab antiqua frugalitate in luxum profusi, amorem patriae pene exuerant. Syria victa Romanos prima corrupti, mox Asiatica Pergameni regis hereditas; illae opes atque diuitiae affixere seculi mores. **FLOR.** III, 12, 7. Bella continua, quibus implicati erant, expiationes prouinciarum, sociorum, hostium, quae in morem abierant, efferabant animos. Duces exercituum, regibus populisque imperare assueti, obsequii impatiens siebant; ciues qui sub illis militabant, in partem praedae et communionem licentiae admissi, ducibus suis magis quam reipublicae adhaerebant. Post ciuitatem totum

in Italiae datam, magis magisque scindebantur ciuium animi in studia diuersa: noui illi ciues suas suarumque ciuitatum dispositiones et inclinationes in urbem secum afferabant, in clientelis illustrium familiarum, in quibus integri populi esse solebant, perseverabant illisque aderant: vicissim patroni integras ciuitates et populos Romanum exciebant ad suffragia corrumpta et in rem suam flectenda. Constitutio fundamentalis reipublicae cum semel labefactari coepisset, alii imperia per vim extorquentebant, alii aura populari ad ea euehebantur. Aduersus Sertorium, cum impar pugnae Q. Metellus putaretur, Cn. Pompeius ad Hispanias mittebatur. *EUTROPI. VI, 1.*
q. Piratae, cum maria omnia bello praeclusissent, dignus victoria Pompeius videbatur. *FLOR. III, 6. 7.* L. Lucullus, cum prope septem annos bellum Mithridaticum administrasset, sed non satis prospero successu, C. Manilius, Trib. pl. ferebat ad populum, ut eius belli administratio Pompeio committeretur, cui rogationi quamuis opponeretur, non esse vni omnia committenda, ramen unus Pompeius ab omnibus sociis et ciuibus ad id bellum imperator depositebatur. *cic. pro L. Manil. c. 2.* Senatus auctoritas, quae antea par fuerat tuendae formae reipublicae, et comprimendis motibus ei repugnantibus, vim omnem amitterebat, cum suffragatio multitudinis valeret ad arripienda et praeter morem retinenda imperia, quae magnam et potestatem et potentiam sibi adjunctam habebant, unde siebat ut mersa virtus suis res publica pessundaretur. *vid. MONTESQ. de Causs. Magnit. et decrem. Rom. c. 9.*

§. III.

CONSEQUENS tantae conuersionis rerum, et prae-
Bella in-
ponderantis potentiae atque auctoritatis, a ciuibus qui-testina-
bus.

A 2

4 CAP. I. DE ORIG. ET CONSTITVT.

busdam partae, erat, vt ambitio erumperet in bella civilia, quibus immaniter in propria viscera Romani saeviebant. C. Marius, obscuro loco natus, sed multis vietoriis clarus, de quo non facile dictu vtrum bello melior, an pace pernicioſior fuerit, administrationem belli Mithridatici I, quam senatus L. Syllae decreuerat, per P. Sulpiciū, Trib. pl. seditioſe ſibi decerni curabat. In iuriā illam non ferens Sylla, cum exercitu in urbem veniebat, et aduersus faſionem Sulpicij et Marii in ipſa vrbe pugnabat. Postea Corn. Cinna, Consul factus, et partibus Marii addicetus, cum ab vrbe pulſus eſſet, Marium ex Africa reuocabat. In urbem recepti, eam caedibus et rapinis vastabant. Sylla a bello Mithridatico, quod interea continuauerat, in Italiam traecto exercitu, et de bellatis Samnitibus ante portam Collinam, urbem ingressus, vietoriam crudelitate, quanta in nullo hominum unquam fuit, inquinabat, octo millia deditorum in villa publica trucidabat, tabulam proſcriptionis ponebat, urbem ac totam Italiam caedibus replebat, proſcriptorum liberis ius petendorum honorum eripiebat, et bona eorum vendebat, formam reip. in multis mutabat. LIV. Epit. L. 77-89 cui addendus FLOR. III, 21. Post obitum Syllae, L. Sergius Catilina, nobilissimae stirpis, cum pluribus aliis nobilibus et ignobilibus coniurabat de trucidatione consulū et ſenatus, incendiis vrbis, direptione aerarii, et opprimenda republika, quae facinora, quamuis feliciter occupata, indicio tamen ſunt, quantopere Romani tunc a priftina disciplina degenerauerint.

§. IV.

Triumviratus prior.

POMPEIVS rebus maximis in Oriente geſtis, et dimiſſo exercitu Romam redux factus, vt acta ſua omnia a ſenatu confirmarentur petebat, ſed repugnantibus Lucul-

lo

lo aliisque inimicis, non impetrabat. Offensam inde passus, cum Julio Caesare, ex propraetura Hispaniensi Romam reuerso vt consulatum peteret, amicitiam consociabat, petitionem eius iuuabat, sperans fore vt consul factus aucta sua confirmaret, quod ex voto succedebat. Adiungebant sibi porro M. Crassum, virum consulariem et valde potenter, conueniebantque inter se, ne quid ageretur in republica, quod displicuissest vili e tribus, S V E T O N . in Caes. c. 19 unde haec societas vulgo Triumuiratus dicitur. Soluebatur illa morte Crassi, in bello contra Parthos occisi, mortuaque insuper Pompeii vxore, Caesaris filia, Pompeius patrem ferre nescius, non vterius differendum putabat consilium deiiciendi Caesarem de gradu potentiae quem attigerat. Senatus, qui maximam partem cum Pompeio faciebat, mandabat Caelari, inde a gesto consulatu in Gallia cum imperio versanti, vt exercitum dimitteret, et negabatur nunc, absentis rationem in comitiis consularibus habendam, quod antea ei indultum erat. Caesar his irritatus, Rubiconem cum exercitu transibat, Pompeio bellum inferebat, fugientem persequebatur, tandemque in campus Pharsalicis profligabat, vnde in Aegyptum profugus, iussu Ptolemaei interficiebatur. Sic solus rerum potitus Caesar, non honores modo nimios recipiebat, sed et ampliora etiam humano fastigio sibi decerni patiebatur, tandem vero populo dominationem clam palamque detrectante, a LX amplius in eum conspirabatur, Idibusque Martiis tribus et viginti plagis in curia Pompeia confodiebatur.

§. V.

CAESARE e medio sublato, varius et multiplex ei- Trium-
nitatis motus erat. Percussores, cum veteranos Caesaris viratus
timarent, statim e curia in Capitolium confugiebant, ibi- alter.

A 3

que

que toto triduo desidebant. Plebs statim a funere ad domum Brutii et Cassii cum facibus tendebat. Senatus pacis causa aucta Caesaris confirmando censebat, et simul amnestiam publicabat. M. Antonius, collega Caesaris in consulatu, funere indicto, laudabat Caesarem in foro, commemoratisque rebus ab eo gestis, et explicata ueste in qua fuerat occisus, ad miserationem commouendam conuertebat orationem. Potentiae stabilienda causa quasi ex commentariis Caesaris ciuitatem immunitatesque dabant, exsules reducebant. Eandem ob causam Galliam citiorem, D. Bruto iam a Caesare decretam et a senatu confirmatam, ei adimere conabantur, eumque Mutinae obsidebant. Octauium, Caesaris nepotem ex sorore, quem in testamento heredem instituerat, et in familiam etiam nomenque adoptauerat, probris infectabantur, veritus ne fauore nominis milites Caesaris sibi conciliaret. Octavius primo partibus optimatum se adiungebat, Antonium, Mutinam obsidentem et hostem iudicatum, adiutus a Coss. Hirtio et Pansa, fundebat fugabatque: postea optimates, sibi suspectos dictitans, deserebant, et a Pompeianis sibi metuens, cum Antonio et M. Lepido, qui exercitus suos coniunxerant, societatem inibant: *triumviratus reipublicae constituenda* dicitur: primo in quinquennium initus, deinde in alterum quinquennium continuatus. Consentiebant in proscriptionem inimicorum sibi mutuo concedendam, eamque acerbissime exercebant. Eius atrocitas nihil in se minus habebat, quam numerum centum quadraginta senatorum. Exitus foedi, truces, miserabiles, toto terrarum orbe fugientium.

FLOR. IV, 6. 3.

Principa-
tus Au-
gusti.

DOMINATIONEM arreptam ut Triumviri per orbem Romanum exercere possent, Octavius cum Antonio in

§. VI.

in libertatis vindices, Cassium et Brutum, qui in provincias suas, Syriam et Macedoniam concederant, accingebantur, eosque Philippensi praelio debellabant. Antonius ad Orientem ordinandum, Octavius in Italiam proficisci ebatur. Inter alia bella, quae gerenda occurrerant, aduersus Sex. Pompeium, qui Siciliam prouinciam habebat, et mare latrociniis infestum reddebat, bellum fuscipendum erat. In eo cum Octavio auxilio fuisset M. Lepidus Triumvir, Siciliam, Pompeio ademtam, sibi cedi volebat. Octavius castra eius ingressus et a militibus receptus, Triumviratus honorem Lepido abrogabat, vitam autem petenti concedebat. Hoc facto, cum orbis terrarum dominatio ad duos rediisset, qui saepius iam gratiam male reconciliauerant, mox inter se ad arma veniebant. Bello finem afferebat pugna naualis ad promontorium Actiacum, qua superatus Antonius in Aegyptum fugiebat, et desperatis rebus ipse se interficiebat. Sic itaque Octavius solus rerum portus, cuncta discordis ciuilibus fessa, nomine Principis sub imperium accipiebat. TACIT. Annal. I. i.

§. VII.

QVAERI potest quo iure Augustus remp. Romanam Quo in sub imperium acceperit? Imperium civile originarie est re quae res populi propria, et in eius arbitrio positum, utrum situs illud sibi retinere, an in aliud, et qua lege transferre velit. Si quis, iure ad imperium capessendum destitutus, illud vi vel dolo ad se rapit, inusor dicitur, et populo iniuriam facit. Purgatur tamen vitium raptus, si populus ex postfacto absque coactione in subiectiōnē consentit, et imperium in inusorem transfert. Non ausū sim absoluere Augustum suspicione rerum nouandarum, nihil enim conuenientius duxit quam necem auunculi vindica-

dicare, tuerique acta: ad optimates se non contulit, nisi quia Antonium conatibus suis aduersantem expertus erat: caussam optimatum deferuit, vt cognouit duces et exercitus pro partibus Antonii et Lepidi consentire, et cum illis societatem iniit. SVET. Aug. c. 10. sq. Minime tamen arbitror, conuicium inuasoris Augusto faciendum esse. Apparebat enim rempublicam plurium arbitrio temere committi: prudentes agnoscebant, non aliud discordantis patriae remedium esse, quam ut ab uno regeretur. TACIT. Annal. I, 9, senatus populusque Romanus pluribus decretis omnem potestatem in Augustum contulit, est igitur omnino legitimus imperans habendus.

§. VIII.

Quomo-
do rece-
ptus.

TENVIT Octavius Remp. XII annis cum Antonio et Lepido: solus eam obtinuit, postquam Aegypto imperio Romano adiecta, Romanam redierat, duodecimo anno quam consul fuerat. Ita EVTROR. VII, 4. Alii annos XIV numerant. Post oppressum statim Antonium de reddenda Republ. cogitauit, memor obiectum ab eo sibi saepius, quasi per ipsum staret ne redderetur, SVET. in Aug. c. 28 sed adhibitis ad deliberationem Agrippa Maecenateque, cum quibus de omnibus suis arcanis communicare solebat, Maecenas magnopere dissuasit, per pulitque ut retinere vellat Remp. Vtriusque orationem prolixe refert DIO. lib. 52 ad A. V. 725, Caefare V Consule. Idem lib. 53 consignatam reliquit orationem, quam Caefer, septimum Consulatum gerens, A. V. 727 in senatu de scripto recitauit de deponendo imperio, sed artem appellat, qua effectit ut imperium ei a senatu populoque confirmaretur. Cupiens nihilominus suspicionem regiae potestatis sibi propositae a se remouere, imperium tantum decennale suscepit. Primum vero decennium cum

ex-

exiuisset, aliud quinquennium, eoque circumacto rursum aliud quinquennium, post decennium, ac eo finito aliud iterum decretum est, et quinques quidem, ita ut continuatis decenniis per totam vitam imperii summam obtinuerit. *Dio lib. 53, p. 506. sq.* Potestatem vero ipsam, principatus conuenientem, exseruit ratione eorum nominum, quae in populari statu usurpabantur. Tribunitiam potestatem perpetuam recepit, *Suet. Aug. c. 27.* idque summi fastigii vocabulum reperit, ne regis aut dictatoris nomen assumeret, ac tamen appellatione aliqua cetera imperia praemineret. *Tacit. Annal. III, 56.* Pontificatum maximum suscepit, ut sacra religionesque haberet in potestate. Recepit et morum regimen perpetuum, quamquam sine censurae honore, ut dominandi libido lateret. *Suet. l.c. ibique Cl. Ernesti.* Imperatoris nomen accepit, quo summa imperii demonstraretur.

§. IX.

SVCCES SIONIBVS in principatum addebat senatus Quomo- speciem quandam auctoritatis suae. *Tiberius* quasi a sena-do postea tu coactus recepit imperium. *Suet. Tib. c. 24. Caligulae,* defatus. consensu senatus et irrumpentis in curiam turbae, ius arbitriumque omnium rerum permisum est. *Cal. c. 14. Clau- dio* principatum praeripere conabantur Consules cum se- natu, asserturi communem libertatem. *Claud. c. 10. Nero,* pro palatii gradibus Imperator consulatus, in curia cu- mulabatur honoribus. *Ner. c. 8. Galbae* principi omnia, quae ad principatum pertinent, decreta sunt. *Dio lib. 63, p. 727. Othoni* decreta sunt a senatu omnia, quae per- tinebant ad principatum. *Dio lib. 64, p. 731. Plenius de eo* *Tacit. Hist. I, 47.* Accurrunt patres: decernitur O- thoni tribunitia potestas, et nomen Augusti, et omnes principum honores. *Vitellio* in senatu cuncta, longis alio- rum principatibus composita, statim decreta sunt. *Tacit. Hist.*

B

Hist.

Hist. II, 55. anterioribus enim principibus successive quaedam decreta erant. *Fl. Vespasiano*, quem milites Imperatorem salutauerant, Romae senatus cuncta, principibus solita decreuit. *TAC. Hist. IV*, 3. Vero simile fit, postquam ea, quae principibus decernebantur, ad certam quasi formulam adstricta sunt, appellationem legis regiae ortam esse, ad complexum eorum denotandum.

§. X.

Constitu-
tio prin-
cipatus.

PUBLICVM odium quod Iulius Caesar incurrerat, et cruentus exitus quem habuerat, cautum reddebat Augustum, vt ad constituendum principatum circumspetius accederet. Caesar imperium in liberam ciuitatem vi et armis inuaserat; Augustus in quinquennia et decennia illud sibi decerni curabat, vt paullo ante ostensum est. Caesar dixerat, nibil esse rem publicam, appellationem modo sine corpore ac specie. Debere homines iam confederati loqui secum, ac pro legibus habere quae dicat. SVET. in *Caes. c. 77*. Augustus vero non omnia proprio consilio egit, sed multa publice deliberanda proposuit, vt si quid aliis displiceret, id corrigere posset: omnes vero abdortatus est, vt suum sibi consilium aperirent, si quid redditus inuenirent. DIO. lib. 53, p. 51. Caesar senatum despiciebat, et adeuntes se cum multis honorificentissimis decretis uniuersos paeres conscriptos sedens excipiebat, SVET. c. 78. Augustum monebat Maecenas apud DION. lib. 52, p. 485, e dignitate reipublicae esse, omnia videri esse in potestate senatus, et per senatum fieri omnia quae decernenda essent. Caesar perpetuam dictaturam receperat, et Syllam dicebat vescisse litteras, qui dictaturam deposuerit, SVET. c. 77. Augustus dictaturam magna vi offerente populo, genu nixus, diecta ab humeris toga, nudo pectore deprecatus est. ID. in Aug. c. 52. Pluribus documentis constat, Augustum studuisse ita

ita constituere principatum , ne Romanos noui status
poeniteret.

§. XI.

INTER XII Imperatores seculi I, quorum vitas poste. Seculo
ritatis memoriae consignauit Suetonius , tres tantum cum I, II, III,
laude rei Romanae praefuerunt, Augustus et vterque Ve-
spasianus : reliqui turpissimis vitiis deformes, caedibus et
flagitiis remp. misere afflixerunt. Multis immerentibus
exitio fuerunt iudicia maiestatis , a Tiberio instituta, non
qualia olim fuerant, si quis maiestatem populi Rom. mi-
nisset. TACIT. Annal. I, 72, sed illis intentata, qui vio-
latae dignitatis Caesaris insimulabantur. Putat MON-
TESQ. de Cauff. magnit. Rom. c. 12, fieri posse, vt accusa-
tiones illae non adeo ridiculae essent isto tempore, ac
nobis hodie videntur, sed credo eas tanto defensore ege-
re. Numerum bonorum Imperatorum seculo I auxerunt
Nerua , princeps adeo bonus, vt etiam mansuetudo in
eo reprehenderetur , atque Traianus , decreto senatus
Optimus cognominatus. Seculum II, iudice MONTES QV.
l. c. cap. 16, optimos Romani orbis Imperatores debebat
sapientiae Stoicae, per totum imperium se diffundenti,
et in dies maiorem auctoritatem nanciscenti : sectae, ex
ipius sententia , incomparabili, ad quam producendam
natura humana omnes vires suas intenderat. Seponit
nempe errores metaphysicos , quos philosophi Stoicis
imputant. Breuis tamen illa felicitas fuit. Sequebantur
enim Imperatores, flagitiosissimis qui quondam fuerant
improbitate pares, effervescebat protervia militum, im-
perium venale proponentium, et pro libidine sua mox
Imperatores de solio deturbantium, mox alios in illo
collocantium. Licentia haec temere usurpata, et dulce-
dine largitionum exspectandarum ad res nouandas pro-
na, dedit seculo III turbam quondam Imperatorum, gen-

te quandoque barbarorum , moribus corruptissimorum , erga se inuicem et in rem publicam saeuientium . Tyrannidis exprobationem diluere conatur MONTES QV. l. c. cap. 16. monendo , ius summi imperii et exercitium , quae hodie prudenter separantur , tunc coniuncta fuisse , id coeque imperatores facilius in suspicionem crudelitatis incidisse ; sed plerumque immanius saeuierunt , quam ut hac excusatione defendi possint . Licentiae misitum obuiam iturus Diocletianus instituebat , vt duo essent Augusti totidemque Caesares , ratus ita fore , ut maiores exercitus se inuicem in officio continerent , reliqui autem a seditionibus deterrerentur .

§. XII.

Seculo
IV, V.

SECVLO IV Constantinus M. solus imperio potitus , immaniter labefactabat maiestatem populi vrbis Romae , transferendo sedem imperii Roma Byzantium , quam de suo nomine Constantinopolin appellabat , et aequalibus cum vetere regina Roma priuilegiis ornabat . Fiebat inde , vt fons imperii non vnicce in populo vrbis Romae , sed pro maiore parte Constantinopoli esset , accedente ad communicationem iuriuum sede imperiali . Alter consulum nouae Romae esse iubebatur , quam appellationem alibi non ferendam existimabant Romani , quod indicat c. c. Agrar. II, c. 34. Capuanam superbiam his verbis exagirans : *Nonne arbitramini paucis annis fuisse Consulum nomen appetituros ?* Diuidebatur porro non solum orbis Romanus inter filios Constantini M. sed radices etiam agebat diuisio in imperium Orientale et Occidentale , quae a Valentianino seniore et Valente fratribus profecta , deinceps vsu seruata est . cf. GOTHOFR. ad L. 7. Cod. Theod. de metall. Qui Romae agebat Imperator , non erat certus iustusque princeps , priusquam a

Con-

Constantinopolitano confirmaretur. GRONOV. ad Grot.
de I. B. ac. P. II, g. n. Seculo V potentia Romana, quae
tot populis, tot hostibus, per tot secula non solum par-
sed etiam superior fuerat, repente quasi succumbebat ir-
ruptionibus gentium barbararum, et usque adeo attere-
batur, ut imperium Occidentale plane desineret. Du-
dum degenerauerant Romani a virtute et disciplina anti-
qua: Constantinus M. nudauerat fines Occidentis praesi-
diis, quae ad custodiam in illis disposita fuerant, abdu-
cendo legiones in interiores imperii partes versus Orien-
tem: Italia imbellis facta erat, expletis legionibus milite
mercenario: Imperatores Occidentales moli regiminis
non erant pares: euertebatur itaque non adeo longo an-
norum cursu imperium illud Romanum, quod per se-
cula orbi tremendum fuerat. vid. pluribus MONTESQ.V.
l. c. cap. 19.

§. XIII.

MENTIO facta est Augustorum atque Caesorum tan- Caesarē
quam inter se differentium, id quod paullo plenius de- et Au-
clarandum. Decretum erat Octauiano cognomen Augu. gusti.
sti, ut ipsi sanctitas et inuiolabilitas inde accederet, hinc
nomen illud deinceps quoque maxime venerabile habi-
tum, eisque solis tributum, qui clavum imperii tene-
bant. Condominatu per M. Ant. Philosophum introdu-
cto, duo simul Augusti fuerunt, commune imperium
habentes, quod notat SPARTIAN. in Ael. Vero, c. 5, Ve-
rus certe cum Marco aequale gesit imperium, nam ipsi sunt
qui primo duo Augusti appellati sunt. Caesorum minor fu-
it dignitas, augustae maiestatis consequendae spem affe-
rens, quod sequenti modo introduxitum. Cooperat Au-
gustus imperium transferre in Tiberium per adoptionem,
eiusque exemplum secuti Imperatores alii prole destituti,
successores sibi destinarunt, obtinuitque ut, qui siue per
ado-

adoptionem, sive alio modo successores designabantur, Cæsares dicerentur. Hoc sensu scribit SPARTIAN. l. c. cap. 2. *Nihil habet in sua vita memorabile nisi quod tantum Cæsar est appellatus, non testamento, ut antea solebat, neque eo modo quo Traianus est adoptatus, sed eo prope genere, quo - - Maximianus atque Constantius Cæsares dicti sunt, quasi quidam principum filii viri, et designati augustae maiestatis heredes.* De sensu horum verborum CASAVENONI item mouet SALMASIVS in nota. Prior duo obseruanda inde elicit: vnum, tunc primum nouum genus honoris in Remp. inductum, ut essent Cæsares velut candidati imperii et designati heredes; alterum, primo Vero hunc titulum et honorem esse delatum. Posterior contendit, nihil amplius velle Spartianum, quam quod Aelius tantum Cæsar est appellatus, ad imperatoriam vero dignitatem non peruenit, atque haec explicatio verior videtur.

§. XIV.

Notitia
Cæsa-
rum.

CAESARIS nomen, quod fuerat gentilium, donec in Nerone progenies Cæsarum desiceret, Galba primus fecit publicum dignitatis et imperii. Cum enim ab exercitu Imperator consulatus esset, legatum se senatus ac populi Rom. professus est: postea certior factus, cunctos Romæ in verba sua iurasse, deposita legati, suscepit Cæsar's appellationem. SVET. in Galba. c. ii. Significauit itaque se esse Imperatorem designatum. Idem Galba, ratus orbitatem suam despiciui esse, Pisonem adoptauit, qui de se ipso ad milites dicit apud TAC. Ann. I, 29, sextus dies agitur, ex quo Caesar adscitus sum. Et deinceps: Me Galba, consentientibus vobis, Cæsarem dixit, vestra interest ne imperatorem pessimi faciant, respiciens ad partem militum, quae Othonem seditiose proclaimare intendebat. Hic itaque Caesar denotat legitimum successorem in imperio.

perio. De Fl. Vespasiano eiusque filiis legimus apud DION. l. 66. init. His rebus gestis Vespasianus etiam a senatu creatur imperator, Titusque et Domitianus Caesares designantur. Docetur his verbis, Titum et Domitianum, dum Caesares designati sunt, ad successionem in imperio vocatos. Post viriusque obitum Nerua imperator factus, cum propter senectutem contemneretur, in Capitolium consendit, ibique magna voce, Quod felix faustumque sit, inquit, S. P. Q. R. milibus ipsi, M. Vlpium Neruam Traianum adopto, eundemque postea in senatu Caesarem designauit. DIO. l. 68. p. 770. Haec agens Nerua voluit, ut Traianus futurus Imperator a senatu agnosceretur. Diocletianus Maximianum Herculium ex Caesare fecit Augustum: Constantium et Maximianum Caesares ex Trop. IX, 14.

§. XV.

Ex institutis Augusti illud adhuc in primis comme- Militia morandum, quod, narrante SVET. c. 49, militum certum numerum partim in urbibus, partim in sui custodiam riana. allegit, nec tamen unquam plures quam tres cohortes in urbe esse passus est, easque sine castris. Nauctae sunt nomen cohortium urbanarum et praetorianarum. Tiberius castra constituit, quibus praetorianae cohortes, vagae ante id tempus et per hospitia dispersae, continerentur. SVET. Tib. c. 37. Castra illa ad urbem fuerunt, iuxta portam Viminalem. Deductae autem sunt in castra consilio Seiani, ut simul imperia acciperent, numeroque et robore et visu inter se, fiducia ipsis, in certeros metus crearetur, seuerius auctueros, si vallum statuatur procul urbis illecebbris, et si quid subitum ingruat, maiore auxilio pariter subuenturos. TACIT. Ann. IV, 2. Augustus praetorianorum militum praefectos duos instituerant, DIO l. 55, p. 555,

p. 555, Seianus solus hoc munere fungebatur. Castra praetoriana, eo fine instituta, ut essent firmamentum dominationis, paullo post dominantibus terrori fuerunt. Claudius, a milite praetoriano e latibulo protractus, et ad comitilitones deductus, in castris imperator salutatus est. Quod cum semel successisset, iterum tentatum, et ab aliis exercitibus in exemplum tractum est. Pars Moesiaci exercitus, consilia agitant de creando Imperatore, ita ratiocinabatur: *Neque enim deteriores esse aut Hispaniensi exercitu qui Galbam, aut Praetoriano qui Otbonem, aut Germanicano qui Vitellium fecissent.* SVET. in Vespas. c. 6. Non licebat amplius Imperatoribus securis esse rerum suarum, si militibus displicuissent. Neque vero tantum seditionis ausibus statui publico molesti fuerunt, sed etiam de regimine ipso audacter constituerunt. Philippus Arabs, praefectus praetorio sub Gordiano III, ut imperium ad se raperet, milites Gordiano infestos reddidit. Iussum a militibus vt Philippus cum Gordiano pariter imperaret. Hic, consortii superbissimi impatiens, impetrare studuit a militibus, vt imperium Philippo abrogaretur, sed nihil egit. Petuit porro, vt aequale saltu inter eos esset imperium, nec impetravit. Dehinc petuit vt loco Caesaris haberetur, nec id obtinuit. Petuit vt praefecti loco esset Philippo, quod et ipsum negatum est. Ultimae preces fuerunt, vt eum Philippus pro duce haberet, et pateretur viuere. Accepta est conditio, sed paullo post occisus est. IVL. CAPITOL. in Gord. III, c. 30. Adeo lubricus et incertus fuit status rei Rom. sub imperio militari.



C A P.

C A P . I I .

DE

STATV REI ROMANAE SVB
PRINCIPATV.

§. I.

PRINCIPATV in rem publicam Rom. introductus, non pot- Mutatio-
erat non statui publico magnam afferre mutationem. nes ex-
Per eum enim senatus populusque Rom. sub imperium principa-
acceptus, libertatem ciuilem amittebat, et alterius pot- tu.
estati subiiciebatur. *Verso ciuitatis statu, nihil quisquam*
prisci et integri moris: omnis exuta aequalitate iussa prin-
cipis asperare. TACIT, Ann. I, 4. Manebant quidem ea-
dem magistratum vocabula, speciosa S. P. Q. R. nomi-
na, sed vis ac potestas erat penes Caesares. Sequebatur
mox altera prisci moris mutatio, vt dominatio successoria
in Remp. introduceretur. Dabatur interdum sub li-
bera republica magistratibus potestas summa, sed extra
ordinem. Deferebatur consulibus in rebus trepidis folen-
ni SCti formula: *Viderent Coss. ne quid respublica detri-*
menti caperet. Creabant nonaunquam Dictatores, mo-
narchica quidem, sed semestri tantum potestate praediti.
Principatus contra ira instituebatur, vt esset successorius,
assumente iam Augusto instrumenta dominationi, TAC.
Ann. I, 3. hoc est successores in imperio futuros, et hinc
status popularis in perpetuum sublatu est, suppleto sem-
per principatu nouis imperatoribus.

§. II.

DIFFEREBAT principatus a regno nomine et in Forma
signibus, non vi et potestate. Caligula cum audiret forte principa-
reges concertantes super coenam de nobilitate generis, tus Rom:
C non

non multum absuit *quin statim diadema sumeret, speciemque principatus in regni formam conuerteret. SVET. Cal. c. 22.* Forma regni denotat insignia regum. Quod vero principatus instar monarchiae fuerit, luculenta nos docent veterum effata. Sribit DIO 1. 52, ad A. V. 725, p. 463: Hoc anno vere iterum penes vnum hominem summa totius reipublicae esse coepit. Et I. 53 p. 507: Nomen quidem eius imperii, quo omnis penes vnum aliquem esset potestas, adeo inuisum Romanis fuit, vt ne dictatorem quidem nominare sustinuerint: cum tamen ad imperatores summa reipublicae referatur, fieri non potest quin sub regno Romani sint. Sic etiam TAC. Hist. I. 1. Postquam bellatum apud Actium, omnem potestatem ad vnum conferre pacis interfuit. Nec turbare nos debet, quod multa simulacra libertatis senatu praebita legimus, notum enim est, imperium non desinere esse ab solutum, si rector ciuitatis pro lubitu ad concilium aliquod desert negotia de quibus statuendum.

§. III.

Ius eli-
gerandi
Impp.

NOBILIS in primis est quaestio, et primo statim loco discutienda, vtrum S. P. Q. R. habuerit ius eligendi Imperatores? affirmat eam H. GROTIUS de I.B. ac. P. II, 9, ii, afferendo, electionem aliquoties a populo per se, aut per senatum factam esse; quae autem per legiones factae sunt, ratas demum fuisse ex approbatione populi, et cum Imperatores Constantinopoli habitarent, electionem factam a parte populi Romani, quae Constantinopoli habitabant. Exempla electionum factarum a senatu aut probatarum prostare putat in Hadriano, Pertinace, Iuliano, Seuero, Macrino, Maximino, Balbino, Aureliano, Tacito, Floriano, Probo. Addit denique effata quorundam imperatorum, ius eligendi senatu afferenti-
um,

um, quibus adiiciatur SPARTIAN. in Hadrian. c. 6, ibi-
que CASAVB. Curate rem omnem examinavit GRONOV.
in not. ad Grot. quibus prolixe ostendit, a populo per se,
ne semel quidem imperatorem electum esse, per senatum
vero vix semel et iterum, et semper euentu parum felici.
Partes quasdam sibi vindicasse senatum in delatione impe-
rii et successionibus principum, supra pluribus ostensum
est, gessit enim se semper tanquam consilium sempiter-
num reipublicae praepositum; sed ius eligendi nunquam
penes senatum fuit tanquam ius stabile et proprium. No-
lo tamen hic praetermittere, postquam Tacitus Impera-
tur electus est, arbitrio eligendi ab exercitu ad senatum
reieeto, tantam senatus laetitia fuisse, ut et supplicatio-
nes decernerentur, et hecatombe promitteretur a singulis,
et mitterentur litterae ad prouincias, vt scirent omnes fo-
cii, omnesque nationes, in antiquum statum redisse rem-
publicam, ac senatum principes legere. VOPISC. in Tacit.
c. 12. Exempla epistolarum exhibet ID. in Florian. c. 5. et 6.

§. IV.

TRACTATIO, quam nunc aggredior, continuo re- Cives ve-
spicere debet iura quae viguerunt sub republica libera: teres et
iuuabit itaque eum sequi ordinem, quem in Diff. de Iure noui
publico populi Rom. milii praescripseram, et ordiendum erit
a distinctione ciuium in veteres et nouos, quae sub liber-
tate enata ad ius suffragii eleuandum, sub principatu ad
tributum vicefimae discrete imponendum, translata est.
Scilicet cum ciuitas integris populis dari coepisset, praecauendum videbatur, ne noui ciues numero suffragiorum
frangerent dignitatem veterum, ideoque coniiciebantur
in tribus peculiares, vt parum momenti haberent ad de-
creta comitiorum. Non aspernabantur hanc condicio-
nem Latini in ciuitatem Romanam recepti, nam propter
C 2 eos

eos tribus additae Metia et Scaptia, *l. viii*, 17. Ad eorum exemplum cum ita ciuitas Italiae data esset, vt in octo tribus contribuerentur noui ciues, *VELL. PAT. II.*, 20. P. Sulpicius, trib. pl. nouarum rerum cupidus, promulgabat, vt noui ciues distribuerentur in tribus, *l. vii*. *Epit. l. 77.* Eadem legem cum reuelisset Cinnus, urbe pellebatur, et consulatus ei abrogabatur. Quemadmodum enim ante ciuitatem exteris populis data, optima semper fuerat iuris conditio ciuium Romanorum, ita etiam post eos receptos vixum est prouidendum, ne plus possent recepti in beneficium, quam auctores beneficii. Sub principatu notabilem fecit distinctionem ciuium in veteres et nouos lex vicesimaria, quae ita scripta erat, ut heredibus domesticis veterum ciuium remitteret tributum vicesimae, quod irrogabat heredibus novorum ciuium. Docet hoc *PLIN. in paneg. c. 37.* Hac mansuetudo legis veteribus ciuibus seruabatur: noui, seu per *Latium in ciuitatem*, seu beneficio principis venissent, nisi simul cognationis iura impetrassent, alienissimi habebantur, quibus coniunctissimi fuerant. Mansit haec distinctio, donec Traianus omnibus inter se cognationum iura dedit more naturae. *ID. I. c. cap. 39.* De hac vicesima infra pluribus agendum erit.

§. V.

Status pa-
tricio-
rum.

DISCRETAE erant ab incunabulis vrbis gentes patriciae a plebeis eo consilio, vt patricii soli senatum, sacerdotia, magistratus, iudicia tenerent, et quamvis horum iurium possessionem contra impetus plebeiorum tueri non possent, pro eius tamen conservazione quauis occasione acerime pugnarunt. Cladios omnes, excepto duntaxat P. Clodio, assertores vnicos dignitatis a potentiae patriciorum, celebrat *SERT. in Tiber. c. 2.* Dignitas patriciorum etiam sub principatu visa est conservan-

uanda. Iul. Caesar patricios allegit. ID. c. 41, fecitque id narrante TAC. Ann. XI, 25, lege Cassia, de qua alias nominatim nupsiam traditur. Per eum gens quoque Octavia in patriciatum rediit. SVET. Aug. c. 2. Augustus patriciorum familias, senatu id permitente, quia pleraque perierant, suffecit; semper autem necessarii patricii existimabantur ad peragendum quae moribus patriis recepta erant. DIO. l. 52, p. 494. Sublegit autem Augustus patricios populo et senatu id iubente lege Saenia. TAC. Ann. XI, 25. Porro Claudius in numerum patriciorum adscivit verutissimum quemque e senatu, aut quibus clari parentes fuerant, exhaustis quippe familiis quas Caesar et Augustus sublegerant. ID. l. c. Vespasianus Iul. Agricolam ab legatione legionis Britannicae reuertentem, inter patricios adscivit, TAC. in Agric. c. 9, eundemque in futurum prospexit ne facile patricii desiderari possent, constitutis mille gentibus patriciis, ex loco quodam Aurel. Viicit colligit CASAVB. in not. ad Suet. Caes. c. 41.

§. VI.

ORDO senatorius, ut integer et intaminatus seruare-Ordo se-
tur, utique dignitatem ac locum quo positus erat recte natori-
tueretur, non desit sub principatu adhiberi cura. Iul. 113.
Caesar quidem, senatum despiciui habens, etiam pere-
grinos in senatum allegit, SVET. in Caes. c. 80, et post
necem Caesaris per gratiam et praemium allacti, per
Antonium scilicet, quasi e commentariis Caesaris, quos
Orcinos vulgus vocauit ID. in Aug. c. 35. Augustus vero,
correcturus ea, quae per licentiam bellorum ciuilium
praeue facta erant, senatorum affluentem numerum, de-
formi et incondita turba, erant enim super mille, et
quidam indignissimi, ad modum pristinum et splen-
dorem rededit duabus lectionibus, cit. cap. 35. Prolixius de
illis

illis agit DIO, non uno loco, ex cuius hb. 54, p. 530. vnum tantum apponam, statuisse Augustum trecentos, tantum, secundum antiquam consuetudinem constituere, sed omnibus pariter hoc aegre ferentibus, sexcentos delegisse. Edixit praeterea Augustus, ne quis senator iniussu suo permisso extra Italiam abiret, idque prohibuisse videtur, ne quis illustriorum comineare ad exercitus, eosque conciliare sibi, prouincialesue posset. Excepta fuit Sicilia, et deinceps quoque Gallia Narbonensis. DIO l. 52. p. 494. et TAC. Ann. XII, 23. In honorem senatus fieri curavit decretum patrum, vt, quoties quid spectandum usquam publice ederetur, primus subselliorum ordo vacaret senatoribus. SVET. Aug. c. 44. Idem senatorum censum ampliavit, ac pro octingentorum milium summa, duodecies festiatio, taxauit, suppleuitque non habentibus. ibid. c. 41. Dissentiens in vtraque summa DIO l. 54, p. 540. addit, neminem iam inueniri potuisse, qui sponte sua senator esse veler, sed fuisse filios etiam nepotesque senatorum, qui non modo non affestarent senatoriam dignitatem, sed eam quoque, adscripti in senatorum numerum eiurarent. Claudius postea senatoriam dignitatem recusantibus, equestrem quoque ademit. SVET. in Claud. c. 24. Nero aliquando senatorum nobilissimo cuique, sed a re familiari destituto annua salario constituit, ID. Ner. c. 10, alio tempore significationes iecit, senatorium ordinem se sublaturum quandoque e republica, c. 37, denique senatum vniuersum veneno per coniuia necare voluit. ib. c. 43. Vespasianus amplissimos ordines, et exhaustos caede varia, et contraminatos veteri negligenter, purgauit suppleuitque, recesso senatu et equite. SVET. Vespas. c. 9. Hadrianus in senatu iurauit, se nunquam senatorem nisi ex senatus sententiа puniturum, et senatoribus, qui non vitio suo decoxerant, patrimonium pro liberorum modo senatoriae

pro-

professionis expleuit. SPARTIAN. *Hadr.* c. 7. Alexander Seuerus senatorem nunquam sine senatorum consilio fecit, et non senatoribus de senatore Romano iudicare non permisit. LAMPRID. *Alex.* c. 19. et 21. Plura de senatoribus sancta suppeditat codex Theodosianus.

§. VII.

ORDO equestris ita medio loco positus erat inter Ordo e-
senatorium et plebeium, vt etiam familiae equestris ab questri-
amborum ordinum familiis distinguerentur. Gens Octa-
via, a Seru. Tullio inter patricias transducta, in duas
abiit familias, quarum altera functa est honoribus sum-
mis, altera in equestri ordine constituit vsque ad Augusti
patrem, vnde Augustus nihil amplius quam equestri fa-
milia ortum se scribit. SVET. *Aug.* c. 2. Respectu illo-
rum equitum qui equos habebant ex publico, antiquitus
duo erant instituta, vt quotannis solenni pompa vehe-
rentur per urbem, et vt quinto quoque anno recense-
rentur. Vtrumque seruauit Augustus: equitum turmas
frequenter recognouit, post longam intercapedinem, re-
ducto more transuectionis. loc. cit. c. 38. Sustulit porro
poenam theatralem, faniendo vt ludos e quatuordecim
spectare licet omnibus, quibus ipsis parentibusque eque-
ster census unquam fuisset, licet non amplius superesset.
ibid. c. 40. Caligula equites Romanos senere curioseque,
nec sine moderatione recognouit. SVET. c. 16. Idem
equestrem ordinem, vt scenae arenaeque deuotum assi-
due proscidit *ibid.* c. 30. Claudi in recognitione conni-
uentiam notauit. *Id. c. 16. in Claud.* Recensum Vespasia-
ni iam allegauit. Honori ordinis equestris cum per leges
theatrales datum esset, vt ludos spectarent e quatuorde-
cim, Nero eum ampliavit, et etiam Circensis loca equiti
secreta a ceteris tribuit. SVET. *Ner.* c. II. Plenius hanc
con-

constitutionem describit. TAC. Ann. XV, 33, Equitum Romanorum locos sedilibus plebis anteposuit apud circum, namque ad eam diem indiscreti inibant, quia lex Roseia nibil nisi de quatuordecim ordinibus sanxit. De re omni ita tenendum est. Ex constitutione Augusti ludi Circenses seorsim a senatoribus et equitibus spectari cooperant, DIO l. 55, p. 563, separatim quidem a plebe, sed non assignatis locis certis statisque, ut idem explicat l. 60, p. 669. Claudius, circa maximo marmoreis carceribus, auratis que metis excuto, propria senatoribus constituit loca, promiscue spectare solitis. SVET. Claud. c. 21, et DIO l. c. Promiscue, h. e. locis incertis. Demum Nero equitibus etiam attribuit certam sedem. VID. LIPS. ad Tac. l.c. Tamquam singulare notat SPARTIAN. in Hadr. c. 22, quod ab epistolis et a libellis primus equites Romanos habuit.

§. VIII.

Ordo plebeius erat omnium ciuium Romanorum, qui in superiorem ordinem alleli non erant, eiusque omnes siebant participes vna cum ipsa ciuitate. Incrementa ille identidem capiebat per manumissiones seruorum, interdum valde numerosas, maiora adhuc per ciuitatem integris populis datam. Non placebat haec libertas Augusto, de quo scribit SVET. c. 40, quod magni aestimans, sincerum atque ab omni colluizione peregrini ac seruiliis sanguinis incorruptum seruare populum, et ciuitatem Romanam parcissime dederit, et manumissioni modum terminauerit. Liuiae, pro quedam tributario Gallo roganti, ciuitatem negavit, immunitatem obtulit, affirmans: *se facilius passarum fisco detrabi aliquid, quam ciuitatis Romanae vulgari bonorem.* Respectu manumissionum curiose cauit de numero, et de conditione ac differentia eorum, qui manumitterentur. Ad coercendam licen-

lificantiam manumissionum promulgatae sunt leges Aelia Sentia, et Fusia Caninia; successit lex Iunia Norbana, effectumque ut quidam tantum manumissi fierent ciues Romani, alii sola Latinorum iura consequerentur, alii denique dedititiae conditionis essent. Leges has a Iustiniiano demum abrogatas esse, ex iure nostro notum est. Plebis sibi conciliandae gratia C. Gracchus rogauerat legem frumentariam, ut inopi plebi singuli modii a senatu venderentur tridentibus cum semisse, et maiore adhuc beneficio plebem demereret cupiens P. Clodius rogauerat, ut gratis daretur plebi frumentum. Augustus frumenti populo diuidundi peculiare instituit officium publicum, ac ne plebs frumentationum caussa frequentius a negotiis auocaretur, ter in annum quaternum mensium tesseras dare destinauit: sed desideranti consuetudinem veterem concessit rursus, ut sui cuiusque mensis acciperet. SVET. Aug. c. 37 et 40. De re frumentaria plura habentur in vitroque codice.

§. IX.

IURA Quiritium varias mutationes subiere sub prin- *Iura Qui-*
cipatu. Familiam inter ea ducebat *Ius libertatis*, quod *ritium*.
plures continebat species. Vni eius speciei, quod ciuitas
nemini inuito adimi poterat, derogabat deportatio, quae
ab Augusto inuenta aduersus reos insidiarum, DIO I. 55,
p. 562. operabatur medium capitum deminutionem, iura ci-
uitatis perimentem, §. 2 I. de cap. dem. Altera species li-
bertatis Romanorum, consistens in immunitate a domina-
tione regum, dominante Sylla concussa, Caesare regen-
te labefactata, Augusto imperante funditus euersa est.
Tertia species, excludens magistratum tyrannidem, sub-
lata est exortis bellis ciuilibus, erumpente tunc atrocitate
proscriptionum, caedium, confiscationis bonorum, et
D debi-

debilitata, in qua praesidium esse debuisset, potestate tribunitia. *Ius gentilitatis*, vi cuius hereditates gente ad aliquos redibant, vix saluum esse potuit post legem caducariam, hereditates certis casibus populo vindicantem. *Ius connubiorum*, quantopere circa initia principatus relaxatum fuerit argumento est, quod Antonius Cleopatram duxit vxorem, et liberos ex ea testamento inter heredes nuncupauit, SVET. Aug. c. 17, quodque Augustus filiam Iuliam Cotisoni Getarum regi despondisse, sibique inuicem filiam regis in matrimonium petuisse ab Antonio perhibitus est. *Ibid. cap. 63*. *Ius honorum* turbulentis reipublicae temporibus, et deinceps sub Caesaribus multis modis turbatum est. Iul. Caesär, rerum potens, quosdam etiam infimi generis ad amplissimos honores prouexit, SVET. c. 72, ipse honores nimios recepit, c. 76. peregrinos in senatum allegere non dubitauit, c. 80. Augustus honores ante tempus cepit, consulatum primum vi extorsit. SVET. c. 26. Vespasianus eos candidatis vendidit, ID. c. 16 in *Vespaf*. Leges de ordine in honoribus gerendis obseruando, de interuallis temporum, et quae sunt aliae, vulgo sub principibus neglectae sunt. *Ius suffragiorum* pertinebat ad creandos magistratus, ad ferendas leges, et ad iudicia quaedam. Hoc ius successive partim restrictum, partim ademtum esse, mox pluribus ostendetur.

§. X.

Ius comitium. COMITIA populi non poterant consistere cum dominatione quam principatus afferebat, igitur ius comitiorum statim labefactatum, et paullo post euersum est. Mutationes, quae acciderunt, sic proponam, ut plenius exsequar quae de hoc argumento iam dixi in *Diss. de Iure priuato P. R period 3, sect. 1, §. 3*. Iulius Caesär comitia magistratum cum populo ita partitus est, ut pro parte dimi-

dimidia pronuntiarentur, quos ipse edidisset. Et edebat per libellos circum tribus missos, scriptura breui: Cæsar dictator illi tribui: Commendo vobis illum et illum. SVET. c. 41. Eosdem quos edebat, et quibus tribuerat, commendabat tribubus, ut more consueto pronunciarentur. Hoc exemplo etiam postea commendari dicti sunt, quibus Cæsares honores mandari iubebant. CASAVB. ad l. c. Augustus contra tribus cum candidatis suis circumibat, supplicabatque more solenni. SVET. c. 56, atque sic comitia ciuilis certe celebrabat, quam fecerat Iulius. Aliquando tamen morem eius reduxisse, docet DIO l. 55. p. 571 ad A.V. 761 de Augusto scribens: Ut priori anno, cum turbæ essent, ipse omnes magistratus designauerat, ita hoc et sequentibus, litteris tantum quibusdam propositis, eos, quibus cupiebat, populo commendabat. Moderante Tiberio senatus libens tenuit, ne plures quam quatuor candidatos commendareret, fine repulsa et ambitu designandos TAC. Ann. I, 15. Caligula tentauit comitorum more revocato, suffragia populo reddere, SVET. Calig. c. 16, imo secundum DION. l. 59, p. 647, comitia populo plebique reddidit, abrogatis ea de re Tiberii constitutionibus, sed ipse rursum comitia sustulit, ibid. p. 655, valuitque Tiberianus mos apud secutos deinceps principes. Comitorum legum sublatorum consequens fuit successio Senatusconsultorum in locum legum.

§. XI.

SACRA consueta populi Rom. vt conuellerentur ob Ius sacro-formam reipublicae mutatam necesse non erat, igitur per rum. principes facile licuit, vt ritus antiqui ceremoniaeque Deorum manerent. Illud tamen principum intererat vt potestate circa sacra essent praediti, ideoque eam sibi vindicare non distulerunt. Statas solennesque ceremonias

Roma curabant pontifices, eorumque collegio praerat pontifex maximus, qui proinde summam in rebus sacris potestatem obtinebat. Augustus Lepido, vni de triumviris, viuo, pontificatum Max. cripere nunquam sustinuerat, neque enim licebat eum viuo alicui adimi, *DIO I. 49, p. 401* post mortem vero Lepidi suscepit, ne quid sibi ad summam potestatem deesset, et permanxit mos ab eo traditus ad Gratianum usque, qui primus ex imperatoribus Christianis descivit ab hoc maiorum instituto *CASAV. ad Suet. Aug. c. 31.* Concessum quoque est Augusto a senatu, ut sacerdotes, quotcunque vellet, etiam neglegendo numero antiquitus recepto, constitueret, quod quidem ab eo acceperunt, deinceps in infinitum excrevit. *DIO I. 51, p. 457.* Claudius, dira cui in urbe aut in capitulo visa, obsecrations ipse, iure maximi pontificis, populo pro rostris praebat. *Suet. Claud. c. 22.* Quod pridem apud Romanos invisu fuerat, ut peregrinos quoque Deos ciuitate donarent, sub imperatoribus ita frequentatum est, ut omnis exterarum gentium supersticio Romam confluaret. Multiplicem deorum cultum tollere intendebat Heliogabalus, de Syriaci Dei, cuius sacerdos fuerat, nomine ita dictus. Is enim imperator factus, Heliogabalo templum exstruxit, *studens et Vestae ignem, et palladium, et ancilia, et omnia Romanis veneranda in illud transferre, id agens ne quis Romae deus nisi Heliogabalus coleretur.* Dicebat præterea, Iudeorum et Samaritanorum religionem, et Christianam devotionem illuc transferendam, ut omnium culturarum secretum Heliogabali sacerdotum teneret. *LAMPRID. in Heliog. c. 3.* Non postremum hoc est inter vesaniae specimina ab ipso prodita.

§. XII.

Genus nouum *ADMONET hic locus, ut speciatim commemorem* *sacerdotii,* *nouum genus sacerdotii et pontificatus maximi, sub ini-* *pera-*

peratoribus enatum. Mos inualuerat apud prouinciales, vt proconsulibus Romanis, si bene prouinciam rexissent, statas et fana ponerent, aliosque honores decernerent. Inter ea, quae humano fastigio ampliora iul. Caeſar ſibi decerni paſſus erat, erant templa, arae, ſimulacula iuxta Deos. SVET. Caeſ. c. 76. Auguſtus, quamuis ſciret templa etiam proconsulibus decerni ſolere, tamen in vrbe pertinaciflme abſtinuit hoc honore. ID. Aug. c. 52. Nolens tamen Tiberius eum honore iſto carere, Auguſti templum fuſcepit, SVET. Tib. c. 47. et ſemiperfectum Caligula abſoluti. ID. Calig. c. 21. Sibi ipſi diuinam maieſtatem aſſerens Caligula, templum numini ſuo proprium, et ſacerdotes, et excogitatiffimas hostias iſtituit. Magiſteria ſacerdotii ditiffimus quiske, et ambitione et licitatione maxima, vicibus compararunt. ibid. c. 22. Quod hic dicitur magiſterium ſacerdotii, uidetur ſignificare pontificatum quendam maximum, qui tantum temporarius fuit, ideoque vicibus comparatus. Nouum hoc ſacerdotium introit Claudius, feſterium oēlogies pro introitu coætus impendere. SVET. Claud. c. 9. Centies feſterium a ſingulis ſacerdotibus accepiſſe Caligulam, ſcribit D 10, l. 59, p. 663. Difficultates diſcutit Ven. ERNESTI ad Suet. II. c. c.

§. XIII.

QVOD initio principatus ab Auguſto factum eſſe ſu- Magistra-
pra docui, vt fuſcipiendo magiſtratus, qui ſub populari tuſ Cae-
forma plurimum valuerant, omnem potestatem ad ſe tra- ſarum.
heret, idem etiam deinceps vſu ſeruatum eſſe, vt nihil ſi-
bi a ſubditis non datum habere principes videarentur, no-
rat D 10 l. 53 p. 508, et appellationes, quibus ſecundum
iſtituta ſui temporis vrebantur, ſic recenſet. *Consules* fi-
unt, et quories extra pomoerium ſint, *Proconsules* dicun-
tur. Nomen *Imperatoris*, ad ſignificandam plenam ſuam

D 3

et

et perfectam potentiam semper gerunt. Semper unus, eorum, siquidem duo vel tres simul imperatores sunt, summum pontificatum gerit, ut omnes religiones et sacrificia in sua habeant manu. Tribunatum plebis gerere nefas ducunt, cum vtique ipsi patricii sint, omnem vero tribunitiam potestatem, quanta vñquam maxima fuit, accipiunt. Censoris nomen raro Imperatores receperunt, forte quia Augustus non receperat. Claudius gessit censuram, ita vt et nomen censoris haberet. SVET. Claud. c. 16, ibique V. Ernesti. Domitianus nomen censoris per totam suam gessit vitam. DIO p. 509. De Traiano habetur in PLIN. Paneg. c. 45: Non censuram adduc, non praefecturam morum recipisti; quia tibi beneficiis potius quam remedii ingenia nostra experiri placet.

§. XIV.

Consula-
tus.

CONSULATVI varia acciderunt sub principatu, notanda. Primitus receptus est potestatis causa, deinde titulo tenus assutus. Inde tamen eximius honor accessit consulatui, vt Gratianus in L. vn. Cod. Theod. de Consul. praefect. cet. dicat: *Diuersa culmina dignitatum consulatui cedere, evidenti auctoritate decernimus, et mox, consulatus praeponendus est omnibus fasigis dignitatum.* Praeponebatur autem ideo, quod et ipsi imperatores eum gessere. Augebatur honor consulatus, si quis in eo gerendo principem collegam haberet. Augusto exigenti, vt, quoties consulatus sibi daretur, binos pro singulis collegas haberet, reclamarunt cuncti, *satis maiestatem eius imminent, quod bonorem eum non solus, sed cum altero gereret.* SVET. Aug. c. 37. Hinc factum vt omnes post Diocletianum principes hunc honorem priuatis communicare desierint, vsque ad Julianum. SALMAS. ad Spart. Hadrian. c. 8. Inierunt autem principes consulatum initio anni honoris cauf-
fa,

sa, post alios sibi suffecerunt, vnde *consules suffecti*, minus honorati quam Ordinarii, a quibus annus denominabatur. Initium moris a Iul. Caesare, Augustus quinque consulatus annuos gessit, ceteros, aut nouem aut sex aut quatuor aut tribus mensibus; secundum vero paucissimis horis. SVET. Aug. c. 26. Quatuor consulatus quos gessit Caligula, totidemque quos gessit Claudius, omnes ad breve tempus suscepit sunt. Praeterea Claudius, nouo circa principem exemplo, in locum demortui suffectus. ID. in Calig. c. 17, et Claud. c. 14. Nero quoque nullum consulatum annum gessit, cumque in senos plerumque menses dedit: defunctoque circa Cal. Ianuarias altero e consulibus, neminem substituit, improbans exemplum vetus Caninii Rebili, uno die consulis. ID. Ner. c. 14 sq. De consulatibus ad menses coarctatis vid. etiam DIO. l. 43, p. 236 sq. et l. 48. p. 378. Regnante Caligula oblii erant consules de natali eius edicere, quam ob caussam magistratus eis abrogatus, *sicutque per triduum sine summa potestate res publica*. SVET. Calig. c. 26. Notatu dignum esse monet CASAVB. in not. consules etiam sub imperatoribus vocari summam potestatem, et decus id nomini mansisse, usque ad ultimos fere imperatores.

§. XV.

SENATVS sub principatu ad administrationem regi- *Senatus*
minis porro adhibitus, sed saepe tanquam instrumen-
tum dominationis. Augustus sanxit, ne plus quam bis
in mense legitimus senatus ageretur, Calendis et Idibus,
neue Septembri Octobriue mense viros adesse alios ne-
cessere esset, quam sorte duos, per quorum numerum
decreta confici possent: sibique instituit consilia sortiri se-
mestria, cum quibus de negotiis ad frequentem senatum
referendis, ante tractaret. SVET. Aug. c. 35. Hoc facien-
do

do vindicavit sibi Augustus quod senatus erat libera re-publica, illi tribuit quod erat populi. Initio principatus Tiberii neque tam paruum quidquam, neque tam magnum, publici priuatique negotii fuit, de quo non ad P. C. referretur, ID. Tib. c. 30. Fulcinius Trio, Libo-nem accusaturus, adit consules, senatus cognitionem poscit, et vocantur patres, addito, consultandum super re magna et atroci. TAC. Ann. II, 28. Claudius neminem exsulum, nisi ex senatus auctoritate restituit. SVET. Claud. c. 12. Nero eam formam futuri principatus praescripsit, qua teneret antiqua munia senatus. TAC. Ann. XIII, 4. Vitellius ventitabat in senatum, etiam cum parvis de rebus patres consulerentur. ID. Hist. II, 91. Fl. Vespasianus veniebat in senatum semper, et cum patribus communicabat omnia. DIO l. 66, p. 750. Traianus cum populo humaniter, cum senatu honorifice versabatur. AD. l. 68, p. 772, quod luculento exemplo illustrat PLIN. Paneg. c. 69. Nec ideo segniss iuuenes nostros exhortatus es, senatum circumirent, senatu supplicare: atque ita a principe sperarent bonores, si a senatu petissent. Hadrianus senatus legitimo, cum in vrbe vel iuxta vrbum esset, semper intersuit: senatus fastigium extulit. SPART. Hadr. c. 8. Dignitatis senatus, sub sequentibus imperatoribus non obscuratae, argumenta hinc inde occurrunt apud scriptores historiae Augustae, quantaque ea deinceps quoque fuerit, docet GOTHOFR. paratit. Tit. 2, Lib. 6. Cod. Theod.

§. XVI.

Magistratus
anti-
qui.

MAGISTRATVS status popularis sub principatu porro creati sunt, sed potestate multum immunita. Potestas *consulum* ad quosdam actus voluntariae et contentiose iurisdictionis tandem restricta est, quos plenius edifferunt commentatores ad tit. D. de offic. conf. Prae-torum

torum numerus auctus est, non quod pluribus opus esset, sed quod multis gratificandum erat. Iul. Caesar, ut pluribus gratiam posset referre, decem praetores designauit, **DIO** l. 42, p. 209. Biennio post praetores quatuordecim ab eo facti sunt, aliam enim rationem praestandi ea, quae multis multa promiserat, nullam habebat. **ID.** l. 43, p. 237. Aliquando praefectos pro praetoribus constituit, qui res urbanas administrarent. **Suet.** *Caes.* c. 76. Augustus A. V. 731, decem tantum praetores, quia pluribus opus non haberet, constituit: **DIO** l. 53, p. 518 postea sedecim ordinavit, tot enim etiam magistratum petierant, quorum offendere nullum volebat; posterioribus autem deinceps multis annis tantum duodecim fuere. **ID.** l. 56, p. 586. Tiberius candidatos praeturae duodecim nominauit, numerum ab Augusto traditum. **TAC.** *Ann.* I, 14. *Censores* creari desitos, longo interuallo creauit Augustus, **Suet.** *Aug.* c. 37, turbulentis enim reipublicae temporibus nemo prudens vir censuram petuit, ne offensiones incurret. **DIO** l. 40, p. 147. Fecit autem Augustus censores Aemil. Lepidum et Munatium Plancum, qui postremi censores ex priuatis fuerunt. **ID.** l. 54 init. *Cura aerarii*, quia quaestores creari desierant, a lul. Caesare ad aediles translata. **DIO** l. 43, p. 237. Augustus auctor fuit, ut cura aerarii a quaestoribus urbanis ad praetorios, praetoresque transiret. **Suet.** *Aug.* c. 36. Claudio curam aerarii Saturni quaestoribus reddidit, quam medio tempore praetores, aut vtique praetura functi sustinuerant. **Suet.** c. 24. Nero praetura perfunctos, et experientia probatos delegit, **TAC.** *Ann.* XIII, 29. Sub Vespasiano a praetoribus tractabatur aerarium **ID.** *Hist.* IV, 9. Post de-nuo ad praefectos cura aerarii translata est. vid. **LIPS.** *Excurs. ad Tac.* *Ann.* XIII, 29. Magistratus minores omitto.

E

§. XVII.

§. XVII.

Magistra- **MAGISTRATVS** antiqui non satis inseruire vide-
 tus noui. bantur firmando et defendendo principatui, igitur noui
 creati, et amplissima potestate instructi. Auctor fuerat
 Maecenas Augusto, vt *praefectum urbis* ex primariis viris
 crearet, qui cum reliquis in rebus vrbi praeesset, tum
 cauissas quoque eas, in quibus a magistratibus appellare
 licet, capitalesque etiam in vrbe ac extra eam dijudica-
 ret. *Dio l. 52. p. 478.* Augustus, amplectens hoc consi-
 lium, sumvit e consularibus qui coerceret seruitia, et
 quod ciuium audacia turbidum, nisi vim metuat, primus
 que Messala Corvinus eam potestate accepit. *TAC. Ann.*
VI. n., ad quem locum norat *Gronovius* *praefectum urbis*
excogitatum esse, vt frangeret ius praetorum, et praetu-
 ram postea inane nomen fuisse. De potestate praefecti
 urbani vid. pluribus *voet. ad tit. D. de offic. praef. urb.* Alter
 nouus magistratus, ab Augusto institutus, fuit *Praefectus praetorio* ab initio plane militaris magistratus, sen-
 sim vero iudiciorum potestatem nauctus, adeo vt ab eo
 appellari non posset, sed supplicatio tantum intra bien-
 num admireretur, vid. *voet. ad tit. D. de off. praef. praet.* Quod de Marco Antonino scribit *CAPITOL. c. ii.*,
 cum secum habuisse praefectos, quorum auctoritate et
 periculo semper iura dictauerit, de praefectis urbis et
 praetorio intelligendum, sique eos potestatem absque
 prouocatione indicandi accepisse censem *salmas. in nota.*
 Exortum porro est nouam genus *Quaestorum*, qui
Quaestores Candidati dicti sunt, de quibus sequentia potis-
 simum notanda. Augustus A. V. 741. ab expeditionibus
 Romanum redux, conuocato senatu, ipse grauedine labo-
 rans, quaestori libellum recitandum dedit, quo recense-
 bantur res ab ipso gestae. *Dio l. 54. p. 539.* Idem, cum
 filiam Iuliam relegasset, absens, ac libello per quaesto-
 rem

rem recitato, notum senatui fecit. SVT. Aug. c. 6j. In-
de videtur in morem abiisse, vt quaestores, principis
vice, orationes in senatu recitarent, tandemque hoc offi-
cium speciatim quibusdam demandaretur, vnde TAC.
Ann. XVI, 27, Oratio principis per quaestorem eius au-
dita est. Candidati autem dicti sunt, quia hoc officium
quasi primordium fuit gerendorum honorum. Hadriano
Traiani familiaritas crevit, causa praecipue orationum
quas pro imperatore dictauerat. SPART. Hadr. c. 3. in fin.
vbi notat SALMAS. hoc officium magni fuisse momenti
ad maxima quaeque in aula consequenda. Plura adhuc
alia noua officia excogitauit Augustus, curam operum
publicorum, viarum, aquarum, aluei Tiberis, frumenti
populo diuidundi, SVT. Aug. c. 37. Sed haec indicasse
sufficiat. Aduersus incendia excubias nocturnas vigiles-
que commentatus est, ibid. c. 30, instituitque praefectum vi-
gilum, de cuius officio vid. tit. D. et C. de off. praef.
vigil.

§. XVIII.

POTESTATEM legislatoriam ita usurpare institue- Legislatio
runt Caesares, vt constitutiones eorum diu sub SCtorum Caesa-
nomine promulgarentur, more a Tiberio introducto, rum.
vt, comitiis ad patres translatis, omne ius SCtis confi-
tueretur. In illis condendis hic plerumque ordo seruatus
est, vt docet BVRMANN. de Vectig. P. R. c. 6. Si quid
nouii iuris statuere vellent imperatores, orationem in se-
natu, vel ipsi, vel per Quaestores candidatos habebant,
qua exponebant patribus quid statuere vellent, et simul,
quid ii censerent, exquirebant. Re deliberata siebat
SCtum, et ad imperatorem perferebatur, qui, si illud
approbabat, exire et legis vim habere iubebat, quod
plerumque Edicto siebat. Sic apud TAC. Ann. XIII, 51.
quod patres de vectigalibus censuerant edixit princeps:

E 2

sic

sic Titum nomine patris *edicta conscripsisse* narrat SVET.
c. 6. Erant itaque sic dicta SCta reuera constitutiones principum, quia illis omne robur a principe accedebat. Neque vero senatus integrum fuisse inconsulto principe iura constituere, luculentis exemplis probari potest. Cum in senatu actum esset de fraudibus libertorum, consules perscrispere consensum senatus principi: *An auctor constitutionis fieret, TAC. Ann. XIII, 26.* Et in causa Anti-stii consules, perfidere senatus decretum non ausi, *de consensu scripsere Caesari. ibid. XIV, 49.* Vicissim initio principatus obtinuit, vt, si quod Edictum imperatoris auctoritatem perpetui iuris habere deberet, SCtum in eam rem faciendum esset. Sic Edictum Claudii, de si-deiussationibus mulierum, SCto Velleiano confirmatum est, *L. 2, pr. §. 1. D. de SCto Vellei.* Post stabilitam sensim potentiam, principes solis Edictis noua iura constituerunt, eaque vigorem legum habuerunt.

§. XIX.

Jurisdic^t. RES iudicaria sub principatu ita constituta est, vt primo causae quedam essent iuris ordinarii, quae age-tuum. rentur apud magistratus ordinarios, iure modoque antiquo, ex formula quae de illis prodita erat. Sub Tiberio, initio principatus, negotia *non nisi per magistratus, et iure ordinario agebantur. SVET. Tiber. c. 31.* Caligula *magistratibus liberam iurisdictionem concessit. ID. Calig. c. 16.* Claudius cognitionibus magistratum, vt unus e consiliarii frequenter interfuit. *ID. Claud. c. 12.* Quinam vero magistratus intelligendi sint, docet nos *DIO L. 60, p. 667.* vbi de Claudio scribit: *Saepenumero etiam cum consulibus ac praetoribus iudicia obibat.* Ex haec tenus dicitis apparet, et si Caesares ex omnibus generibus potestatis summa quaeque ad se traxerunt, eosdem tamen iuri-

risdictionem antiquam magistratibus ordinariis reliquisse, quod ita fecerunt, ut suae potestati limites ponи non patentur. Claudio, cum decurias expungeret, quendam interpellatum ab aduersariis de propria lite, negantem cognitionis rem, sed ordinarii iuris esse, agere causam confessim apud se coegit. SVET. Claud. c. 15. Accedit sub Caesaribus noua quaedam ratio, ut magistratus ipsi, praeter morem antiquum iudicandi munere fungerentur. Accusatores Pisonis cum perorassent, primus sententiam rogatus Aur. Cotta consul, nam referente Caesare magistratus eo etiam munere fungebantur. TAC. Ann. III, 17, qui non vane id notat, prisco enim more magistratus a iudicandi munere immunes fuerunt. LIPS. ad l.c.

§. XX.

CAESARES et ius dixerunt et cognoverunt, quae Iurisdictionem diuersa distinguuntur. Claudio ius, et consul, dico Caetano honorem laboriosissime dixit, SVET. Claud. c. 14, saram. et extra in cognoscendo autem mira varietate animi fuit, ib. c. 15. Nero in iurisdictione postulatoribus non temere respondit: cognoscendi morem eum tenuit et. Differentiam, quae intercessit, non aliunde rectius addisci posse arbitror, quam ex oratione Maecenatis ad Augustum, apud DION. l. 52. p. 487, vbi ita verba facit: Ipse seorsim de caassis in quibus provocazione certatur, iudicium facies, -- nemo enim ita meum imperium obtinere debet, ut non ab eo prouocari possit. De his igitur caassis, deque caassis equitum et centurionum priuatorumque primariorum cognosces, vbi de capite et ignorinia erit controvenerit, nam haec ad te solum debent referri. Prima parte confilii respicit Maecenas cauas, quae apud magistratus ordinarios actae essent, suaderque Augusto, ut si in illis appellatum esset, cauas retractaret. Apud magistratus ordinarios agebantur cauas priuatae, quibus

E 3

ex-

explicabatur iurisdictio, eas igitur, dum Caesares retraherunt, ius dixerunt; hinc regulam formauit V. ERNESTI
Exc. ad Suet. Casar. c. 43: ad Caesaris iurisdictionem ab initio et proprie tantum ea pertinuisse, in quibus a magistratibus ordinariis ad eum prouocatum esset. Quia tamen Augustus appellations quotannis delegauit, et praeterea ipse ius dixit assidue, et in noctem nonnunquam: *Suet. Aug. c. 33*. Quia Nero voluit, ut omnes appellations a iudicibus ad senatum fierent, et tamen in iurisdictione postulatoribus respondit, *Suet. c. 17 et 15*. collendum videtur, Caesarum iurisdictionem in eo quoque fuisse positam, ut vel caussas quasdam sibi seponerent, vel sponre se adeuntibus ius dicenter, id quod forte haud paucis visum est faciendum, quia Caesares in iure dicendo non semper praescripta legum secuti sunt. *Suet. Claud. c. 14*. Atque haec iurisdictio ad caussas priuatas persinuit.

§. XXI.

Cognitio-
nes Cae-
sarum.

PARTE altera consilii sui Maeccnas suggestit Augusto, ut de caussis certarum personarum, vbi de capite et ignominia esset controvressia, ipse cognosceret, easque ad alios referri non pateretur. Exponit hac parte sententiam de caussis publicis, quarum diiudicationi videtur propria fuisse appellatio cognitionum, in oppositione ad iurisdictionem. Scribit *Suet. c. 15*. Neronem cognoscendi morem eum tenuisse, ut continua actionibus omissis, signillatim quaque per vices ageret. Continuae actiones erant patronorum in caussis publicis, quibus rationes caussae, quae in iudicium deducta erat, pluribus orationibus, quales sunt Ciceronis libri V in Verrem, copiose explicabant. Has actiones, quia Nero in cognoscendo omitti voluit, consequens est, ut cognitio-nes circa caussas publicas versatas esse dicamus. Idem intel-

intelligitur ex eo, quod, quae sub libera rep. extra ordinem mandabantur iudicia publica, cognitiones dictae sunt. Cognoscebat autem Caesares, nunc vna cum senatu, nunc cum assessoribus. Morem, quem Claudius Caesar tenuit, ita refert Dio l. 60, p. 667. *Quotidie pro pempodium, vel cum vniuerso senatu, vel solus ipse, plerumque in foro, quandoque alibi pro tribunal de cauiss cognoscebat, renouato more de assessoribus principis, qui ab eo tempore, quo in insulam Tiberius secessit, intercederat. Scilicet uti principes comitia, ita etiam iudicia ad patres transtulerunt, et vna cum eis de cauiss cognouerunt.* Ita Tiberius *Id solum, inquit, Germanico super leges praeſtiterimus, quod in curia potius quam in foro, apud senatum quam apud iudices de morte eius anquiritur.* TAC. Ann. III, 12. Domitianus quosdam maiestatis reos, in curiam induxerat puniendos, deinde intercessit his inter alia verbis: *et intelligent me omnes senatus interfisię.* SVET. Domit. c. 11. Quod porro notauit Dio, Claudium in cognoscendo assessores habuisse, illud etiam postea vsu seruatum est; legitimus enim apud SPART. in Hadr. c. 8. erat mos, vt, cum princeps cauiss cognosceret, et senatoris et equites Rom. in consilium vocaret, et sententiam ex omnium deliberatione proferret. Plenius de assessoribus agit POLLET. Hist. fori Rom. l. 5, c. 6.

§. XXII.

CVRAM pro administratione iustitiae vterius de- Recensuſ monstrarunt principes Romani, recognoscendo decurias decuria- iudicum, et accommodando plures dies aetui rerum. rum. Decuriae erant numerus personarum, ex iis ordinibus, apud quos iudicia essent, a praetore urbano iurato selecetus, ut in iudiciis faciendis tot ex eis iudices federent, quot leges definiſſent. Iul. Caesar iudicia ad duo genera iudicium rededit, equeſtris ordinis ac senatorii: tribunos aera-

aerarios, quod erat tertium, sustulit. SVET. *Caeſ. c. 41.* sed restituta videtur eorum decuria, Augustus enim ad tres iudicium decurias quartam addidit ex inferiore cenſu, quae ducenariorum vocaretur, iudicaretque de leuioribus summis. ID. *Aug. c. 32.* Ducenarii dicti sunt, quod cenſus eorum effet ducena ſeſtertia. Caligula, vt leuior labor iudicantibus foret, ad quatuor priores quintam decuriam addidit. ID. *Calig. c. 16.* Galba, iudicibus ſextam decuriam adiici precantibus, negauit. ID. *c. 14.* Ius legendi iudices ſub principatu ad Imperatores tranſiit, hinc illud recognouerunt decurias. Recognitio ſue récenſus confiſtebat in eo, vt ex albo decuriarum tollerentur nomina demortuorum, vt loca vacua ſupplerentur, et expungerentur qui commiſſiſſent, vt numero iudicium elicearentur. Augustus iam senior, in porticu Palatinae doſmus ſaepe decurias iudicium recognouit. SVET. *c. 29.* Quod Tiberius reipublicae curam vsque adeo abiecit, vt decurias equitum nunquam ſupplerit, SVET. *c. 41.* de iudicium decurii intelligendum eſſe, euincit Ven. ERNESTI *Exc. ad l. c.* Claudioſ decurias rerum aëtu expunxit, et quandam, qui vacationem habebat, vt cupidum iudicandi dimiſiſſit. SVET. *c. 15.* Rerum aëtus ponitur hic pro recenſione decuriarum, eſt enim formula generalis, que de ſingulis fere negotiorum publicorum partibus dicitur. V. ERNESTI *ad l. c.*

§. XXIII.

Aëtus
rerum.

SPECIALIORE significatu aëtus rerum denotat administrationem iudiciorum, de qua varia occurruunt nota- tu digna. Augustus, ne quod maleſicium negotiorum, impunitate vel mora elaberetur, triginta amplius dies, qui honorarii iudis occupabantur, aëtui rerum accommodauit. SVET. *c. 32.* Claudioſ ius dixit, etiam ſuis suo- rum-

rumque diebus solennibus, nonnunquam festis quoque antiquitus et religiosis. ID. c. 14. M. Antoninus, iudicariae rei singularem diligentiam adhibuit, fastis dies iudicarios addidit, ita ut ducentos triginta dies annuos rebus agendis, litibusque disceptandis constitueret. CAPITOL.
in Marco c. 10. Molestiam muneris iudicandi leuare necesse habuit Augustus, concedendo decuriis vacationes, alteram per vices annuas, alteram duorum mensium singulis annis. Ita enim scribit SVET. in Aug. c. 32. Plerisque iudicandi munus detrectantibus, vix concessit, ut singulis decuriis per vices annua vacatio esset, et ut solitae agi Nouembri ac Decembri mense res omittentur. Vix concessit, interpretor: aegre concessit, et permissione minus plena, sed tamen concessit, et reparandas huius vacationis gratia, ut puto, triginta dies alios actui rerum accommodauit. Claudio verum actum, diuīsum antea in bibernos aestiuosque menses, coniunxit. SVET. c. 23. Eundem tamen hibernorum mensium vacationem concessisse, argumento est, quod Galba Iudicibus concessum a Claudio beneficium, ne bieme initioque anni ad iudicandum euocarentur, eripuit. SVET. c. 14. De multitudine feriarum ut exemplum addam, utrар eo, quod Ciceroni, Verrem accusaturo, consilium extorsit, ut primam actionem faceret eam, que testimonii et litteris constaret. Erant tunc Nonae Sextiles, decem dies ante lados votiuos, quos Pompeius facturus erat. Hi ludi dies XV ablaturi erant, deinde continuo Romani consequebantur, postea instabant ludi Victoriae, cum quibus plebeii erant coniuncti. Secundum eos ad Cal. Ian. nulli aut pauci dies ad agendum futuri erant. Act. I, in Verr. c. 10.

F

§. XXIV.

Onera
antiqua.

SUPEREST ut de ratione onerum publicorum sub principatu exponam. Onera antiqua erant census, militia, tributa et vestigalia. Census ab initio eo quoque fine institutus erat, ut tributum ex censu conferretur, idemque sub Imperatoribus erat descriptio, iuxta quam tributa exigeabantur, et hoc significatu de eo agitur in *Tit. D. de censibus.* In scriptura sacra, *Mattb. XXII, 19,* sit mentio numismatis census, imagine Caesaris insigniti, quod pro tributo ac censu pendebatur. Sed hic specialem de censu Romae acto dicendum est. Caesar itaque recensionem, et reliqua ei affinia munia tanquam censor peregit. *DIO l. 43, p. 226.* Augustus lustrum in campo Martio, magna populi frequentia condidit. *SVET. c. 97,* id vero siebat censu peracto. Tiberius censum egit, et condito lusto in Illyrium profectus est. *SVET. c. 21.* Claudius quoque condidit lustrum. *TAC. Ann. XI, 25.* Censurae veteris ultimum, et longo interuallo repetitum exemplum est, quod imperante Decio, censura Valeriano Scto decreta est. vid. *CASAVB. ad Trebell. Pollion. Valerian. patr. et fil. c. 1.* Militiae ratio ita mutata est sub Imperatoribus, ut praetorianas tantum et urbane cohortes ex Italica assumerentur. Legiones quae ante ex ciuibus Romanis, sive urbem illi, sive Latium et Italiam inhabitarent, constabant, ab Augusti temporibus e provincialibus deligebantur. Auxilia, quae socii olim et provincialibus indicebantur, postea e barbaris conscribabantur. Pretium tironicum, quo supplementa legionibus mittenda, redimere provincialibus licebat, fiscum imperatorum locupletabat, et barbari ipsis legionibus immisciebantur, quod in Romani militis contemnum et imperii perniciem tandem erupit. Vid. *SPANH. Orb. Rom. Exerc. II, 21.* *Tributorum* appellatione si intelligimus reditus,

ex

ex agris a ciuibus Rom. possessis, in aerarium importandos, ea iam extremis liberae reipublicae temporibus sublata fuerunt, Sp. Thorio, tribuno pl. vitiosam legem promulgante, qua omnem agrum publicum vestigali levauit, vnde sub Imperatoribus necesse fuit damna amissorum in Italia agrorum ex prouinciis resarcire.

§. XXV.

PLURA notanda sunt de vestigalibus, quae pro in Speciatim uehendis et uehendis mercibus exacta, et portoria dicta vestigalia sunt. Cum ea et vrbi et reliqua Italiae magnopere molestia essent, a Metello Nepote lex de iis abolendis lata, quae ceteris omnibus, non vero senatoribus accepta fuit. DIO I. 37, p. 53. Factum hoc ante eversati libertatem. Quomodo id tulerit Cicero, significat Attico II, 16. Portoriis Italiae sublatis, quod vestigal superest domesticum? Iul. Caesar denuo peregrinarum mercium portoria instituit. SVET. c. 43. Augustus, vt perpetuo ac sine difficultate sumtus ad tuendos milites suppeteret, aerarium militare cum vestigalibus nouis instituit. SVET. c. 49. Ca. ligula vestigalia noua atque inaudita exercuit. SVET. c. 50. Nero dubitauit, an cuncta vestigalia omitti iuberet, idque pulcherrimum donum generi mortalium daret. Sed impetum eius attinuere senatores, dissolutionem imperii docendo, si fructus, quibus respublica sustineretur, diminuerentur. TAC. Ann. XIII, 50. Sic seruata sunt portoria, et a sequentibus quoque imperatoribus magna cum cura exercita. Eorum adhuc, seculo IV, exeunte, fit mentio in L. g. Cod. Theod. de Metall. Quantitas portiorum ordinarie fuit Quadragesima pars mercium quae importabantur, ita enim QUINTIL. Declam. 39, Praetor instrumenta itineris, omnes res quadragesimam publicano debant. Ab hac diversa est quadragesima litium, quam in-

troductum Caligula, auctore Suet. c. 40. et de hac intelligendum est quod de Neronis abolitione scribit TAC. Ann. XIII, 51, mansisse abolitionem quadragesimae, quinquagesimaeque, nam post Neronis tempora nusquam mentio quadragesimae litium ab illo auctore fit, et ex contextu apparet, senatores, impetum Neronis remorantes, sualisse, si liberalitate aliqua veller homines sibi deuincire, abolerer aliquod vestigal, quod nihil vel parum incommodi afferret aerario si tolleretur, cum rationes impensarum ad id non essent comparatae. Abolita igitur est quadragesima litium, quam non in usus imperii, sed ad sustinendos nepotinos sumitus Caligula introduxerat. Quinquagesimam de rebus venalibus solutam fuisse, mox plenius dicetur. Ita, omnibus probe penitatis, hac de re statuit BVRMANN. de *Vestigal*. P. R. c. 5.

§. XXVI.

Onera
noua.

ONERA noua, ab imperatoribus introducta, multam praebarent dicendi materiam, si singula persequi vellem. Paucis defungi possem opera adhuc impendenda, si lectores ablegarem ad BVRMANN. de *Vestigal*. P. R. sed forte non omnibus commodum foret, et haec tractatio careret argumento ad eam pertinente. Delibabo igitur praecipua. Pingues aerario redditus attulit *Vestigal rerum venalium*, quod exigebatur pro rebus quae in foro venales erant, vel quae sub hasta publice posita licitantibus addicebantur, et pro diuersitate quantitatis appellatur Centesima, Ducentesima, Quinquagesima, Quinta et vicefima. Centesima rerum venalium post bella ciuilia instituta, cumque eam sub Tiberio deprecaretur populus, edixit Imperator, militare aerarium eo subsidio niti. TAC. Ann. I, 78. Regno autem Cappadociae in prouinciam a Tiberio redacto, fructibusque eius leuari pos-

posse centesimae vectigal professus Caesar, ducentesimam in posterum statuit. *D. Ann. II, 42* Idem vero deinceps, et quidem post mortem Seiani, liberalitatem suam reuocauit, et centesimam restituuit. *Dio l. 38, p. 631.* Vectigal rerum venalium extensum est ad venditiones quae sub hasta fiebant, sive ad auctiones, qua de re scribit *suet. Calig. c. 16.* Ducentesimam auctionum Italiae remisit. Forte ad aliam causam pertinet, ideoque cum loco allato non pugnat, quod de Caligula scribit *Dio l. 59, p. 647.* Tributum centesimae sustulit. Rebus accensabantur serui, ideoque per se quasi sequebatur, ut vectigal rerum venalium pro seruorum etiam venditione exigeretur. Augustus, cum pecunia opus esset ad bella et nocturnos custodes alendos, tributum instituit, quod de pretio mancipiorum vendorum quinquagesimam partem exegit. *Dio l. 55, p. 569.* Quantitatem ab Augusto institutam forsan Caligula, cum noua atque inaudita vectigalia exerceret, auxit, Nero enim vectigal quintae et viceimiae venalium mancipiorum remisisse legitur apud *TAC. Ann. XIII, 31*, sed specie magis quam vi, quia, cum vendorum pendere iuberetur, in partem pretii emitoribus accrescebat. Venditores denotant negotiantes, qui seruos coemebant, ut iterum venderent, si quis enim seruum suum alteri venderet, vectigal hoc non soluebat. Pro libero exercitio artium, quae magis ad luxum quam ad vitae necessaria accommodatae erant, exigebatur *vectigal artium*, quod postea lustralis collatio dictum est. Praestationi huic obnoxii fuerunt etiam lenones et mero- trices ex instituto Caligulae. Columnis aedium impositum erat *Columnarium* de quo scribit *cic. ad Attic. XIII, 6*, *Columnarium vide ne illum debeamus.* A pluribus re- censendis me retrahit multitudo.

§. XXVII

§. XXVII.

Vicesima C E L E B R I O R vero atque momentosior est *Vicesima hereditatis*, quam ut indicta praetermitti queat. Instituit eam Augustus quasi ex commentariis Caesaris, *DIO l. 55, p. 565 sq.* cumque omnibus fere adeo molestia esset, vt videretur aliquid noui motus excitatura, missio in senatum libello, aliorum reddituum excogitandorum negotium ei dedit. Ipse interea simulanit, se in agros et domos pensionem translaturum, quo perterriti senatores, maluerunt vigesimam relinquiri, quam maiori damno affici. *ID. l. 56, p. 588.* Lex vicesimaria ita scripta erat, vt vigesima pars hereditatum et legatorum in aerarium penderetur, exceptis proxime agnatis et pauperibus. Per proxime agnatos intelligendi sunt, ad quos bona sanguine, gentilitate, facrorum denique societate peruentura erant, rem ita explicante *PLIN. in paneg. c. 36.* Soli itaque heredes extranei hoc onus senserunt, et ab eo quoque immunes fuerunt peregrini, hoc est socii et provinciales, qui non erant ciues Romani, quia ut commodis ciuium caruerunt, ita nec oneribus obnoxii fuerunt. Inueni tamen sunt, qui Romanam ciuitatem non modo Vicesimae, verum etiam affinitatum damno bene compensari putarent. *PLIN. l. c.* Damnum hoc constitebat in eo, quod noui ciues parentibus et agnatis extranei siebant, nisi a principe cognationis iura impetrasset. Subuenit quibusdam eorum Nerua, statuendo, vt, etiam si cognationum iura non receperissent, tamen vicesimam non darent, si quid ex bonis ad eos perueniret. Eius beneficentiam valde amplificauit Traianus, concedendo adhuc pluribus immunitatem a vicesima. *PLIN. l. c. c. 37.* Ne mora vestigali fieret, lancerat Augustus vt testamentum statim post mortem testatoris operiretur, et Hadrianus addidit, heredem scriptum statim in possessionem mittendum, eti testamentum falsum vel inofficium diceretur. Marc. Antoninus addidit leges de vicesima, quibus verosimiliter immunitates longius extendit. Caracalla, vt loco vicesimae decima solueretur institutus, et vt fiscus tanto magis hoe vestigali locupletaretur, toti orbi Romano ciuitatem dedit. Macrinus vicesimam restituisse videtur, ea enim, quae Caracalla circa hereditates et manumissiones constituerat, cessare iusserit. Sub imperatoribus sequentibus saepius fit mentio vicesimae, vt eam non sublatam fuisse inde constet. Iustinianus vero in *L. vlt. C. de Edict. D. Hadr. toll.* dicit, vicesimam et republica recessisse, et post eius tempora nusquam amplius repperitur. Prolixius haec exposita, et probationibus confirmata dabit *BVRMANN. de Vestigial.*


* Pop. Rom. c. XI. *

ULB Halle
005 350 883

3



WIP



Farbkarte #13



B.I.G.

Black

1766, 2
250
9

DISPV TATIO IVRIDICA
DE
STATV REI ROMANAE
SVB PRINCIPATV
QVAM
ILLVSTRIS IVRECONSVLTORVM ORDINIS
CONSENS V
P R A E S I D E
D. CAROLO ANTONIO KEVFFEL

IN IVLEO MAIORI

A. D. XXVII SEPTEMBR. MDCCCLXVI

P VELICE DEFENDET

IOANNES ANDREAS BÜHRING
STECHEMO - BRVNSVICENSIS.
LL. CVLTOR.

HELMSTADII
LITERIS VID. P. D. SCHNORRII,
ACAD. TYPOGR.

